

145 quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
 nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
 sed simulac cupidae mentis satiata libido est,
 dicta nihil metuere, nihil periuria curant
 certe ego te in medio versantem turbine leti
 150 eripui et potius germanum amittere crevi,
 quam tibi fallaci supremo in tempore deessem:
 pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
 praeda neque iniacta tumulabor mortua terra.
 quaenam te genuit sola sub rupe leaena,
 155 quod mare conceptum spumantibus expuit undis,
 quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis,
 talia qui reddis pro dulci praemia vita?
 si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
 saeva quod horrebas prisca praecepta parentis,
 160 at tamen in vestras potuisti ducere sedes,
 quae tibi iocundo famularer serva labore
 candida permulcens liquidis vestigia lymphis
 purpureave tuum consternens veste cubile.
 sed quid ego ignaris nequiquam conqueror auris
 165 externata malo, quae nullis sensibus auctae
 nec missas audire queunt nec reddere voces?
 ille autem prope iam mediis versatur in undis,
 nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
 sic nimis insultans extremo tempore saeva
 170 Fors etiam nostris invidit questibus auris.
 Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
 Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
 indomito nec dira ferens stipendia tauro